

quique philosophorum tam multa legerat, et dijudicaverat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne paeclari magisterii, quod cives hujus mundi eximum putant, statuam in Romano foro meruerat et acceperat: usque ad illam aetatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps: quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata spirabat populusque, etiam omnigenum Deum monstra, et Anubem latratorem, quae aliquando contra Neptunum, et Venerem, contraque Minervam, tela tenuerant; et a se victis jam Roma supplicabat, quae iste senex Victorinus tot annos ore terricrepo defensitaverat, non erubenter esse puer Christi tui, et infans fontis tui, subjecto collo ad humilitatis jugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium. O Domine, Domine, qui inclinasti coelos, et descendisti, tetigisti montes, et fumigaverunt: quibus modis te insinuasti illi pectori? Legebatur, sicut ait Simplicianus, sanctam scripturam, omnesque Christianas literas investigabat studiosissime, et perscrutabatur, et dicebat Simpliciano, non palam, sed secretius et familiarius: noveris me jam esse Christianum. Et respondebat ille: Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro. Ille autem irridebat eum, dicens: Ergone parietes faciunt Christianos? Et hoc saepe dicebat: jam se esse Christianum. Et Simplicianus illud saepe respondebat, et saepe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere superbos daemonicos, quorum ex culmine Babylonicae dignitatis, quasi ex cedris Libani, quas nondum contriverat Dominus, graviter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Sed, posteaquam legendo, et inhiando hausit firmitatem, timuitque negari a Christo coram angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri; reusque sibi magni criminis apparuit, erubescendo de sacramentis humilitatis verbi tui, et non erubescendo de sacris sacrilegis superborum daemoniorum, quae imitator superbus accepe-